

VI. Episcopis concessit Trid. (Sess. 24. de ref. c. 6) facultatem absolvendi in foro conscientiae delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipso aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis. Occultus autem censetur casus etiamsi per aliquos testes probari potest, dummodo neque notorius sit, neque talis ut nulla tergiversatione celari possit. Hanc facultatem confirmavit Pius IX (Const. *Apostolicae Sedis*), excipiens tamen ab ejus ambitu censuras speciali modo Sedi Apostolicae reservatas.

Ex Tridentini tenore liquet hanc facultatem exerceri non posse ab episcopo nisi cum *subditis*: quo nomine tamen probabilius veniunt etiam peregrini; quia, ex universalis consuetudine, censentur subditi episcopi in cuius dioecesi versantur, quoad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae, et consequenter quoad absolutionem ab excommunicatione quae ad haec sacramenta praeexititur et cum confessione conicitur. (Sanch. Dec. l. 2. c. 11. n. 9; Ball. P. n. 239 seqq.) Altera tamen facultas quam Trid. (l. c.) facit episcopis dispensandi in suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiousum, non potest exerceri cum peregrinis, etiamsi hi fungentes aliquo officio, puta medici, in ejus dioecesi commarentur, ut declaratum est a Gregorio XIII. (S. Alph. l. 6. n. 593) Quid praecise intenderit Trid. verbis *in dioecesi sua* non satis convenit. Alii putant requiri ut episcopus sit in dioecesi, alii ut dispensandus in ea versetur. Practice sat erit alterutrum in ea versari. (D'Annib. I. n. 346; Ball. P. n. 250) Tandem verba *in foro conscientiae*, alii (S. Alph. l. c.) ita explicant ut episcopo licaret tantum intra confessionem absolvire; alii (Lugo, de Fide, disp. 23. n. 64; D'Annib. l. c.) probabilius censem per ea tantum denegari absolutioni effectus in foro externo.

Praeter hanc quasi-ordinariam potestatem, solent episcopi habere a S. Sede facultates temporaneas absolvendi, per se vel per alios, etiam a casibus specialiter R. P. reservatis, nulla distinctione facta inter casus occultos et casus notorios. Practice igitur qui facultate absolvendi indiget, fere semper ab episcopo intentum obtinere poterit.

576. VII. Regularibus jam nullum competit perpetuum privilegium absolvendi a censuris R. P. reservatis: quaecumque enim privilegia hujusmodi concessa fuerant, Pius IX Const. *Apostolicae Sedis* expresse revocavit. Quin etiam ipsos subditos suos ab his casibus absolvere nequeunt Praelati Regulares, ut respondit S. Poenit. 5 Dec. 1873. (Ball. P. n. 252) Solent tamen Regularibus facultates absolvendi a casibus Pontificiis concedi ad tempus: quatenus his facultatibus uti possint

tum erga suos, tum erga extraneos, singuli videant e tenore communicationis sibi factae.

VIII. In privilegiis quibuslibet a S. Sede datis numquam comprehenditur facultas absolvendi a censuris R. P. reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit. In generali vero concessione absolvendi a casibus et censuris R. P. reservatis non includitur facultas absolvendi a censuris specialiter reservatis. Ita diserte statuit Pius IX Const. cit.

IX. Qui ab episcopo accepit facultatem absolvendi a casibus reservatis, probabilius absolvire potest etiam a casibus dioecesanis reservatis cum censura, nisi episcopus contraria mentem suam authentice, ex. gr. in folio facultatum confessariis tributarum, manifestaverit. (1) Contrarium quidem opinantur plures, ex. gr. S. Alph. (l. 6. n. 111) et Gury. (II. n. 953) Sed, ut recte advertit D'Annib. (I. n. 347. nota 16) cum Suar. (de Cens. l. 7. c. 4. n. 13): recepto et usitato more loquendi, nomine casuum reservatorum et illi veniunt qui censuram habent adnexam. Sic et Trid. pluries, ex. gr. Sess. 14. de Poenit. c. 7. casuum appellatione et peccata et censuras manifeste comprehendit, et eodem sensu loquuntur RR. PP. in Bullis suis, ex. gr. Bened. XIV in Const. *Inter praeteritas* (§§ 17, 25, 26, 51) pro Jubilaeo an. 1750 edita.

X. Facultas delegata absolvendi *ab omnibus censuris* probabiliter complectitur etiam suspensionem et interdictum quae per modum poenae, non autem censurae proprie dictae irrogantur, quia talis facultas late interpretanda est: immo id prorsus certum videtur quoad suspensiones et interdicta quae in Bulla *Apost. Sedis* continentur, in qua omnia censurarum appellatione, lato licet sensu, significantur. (D'Annib. I. n. 358)

§ 6. CUI ET QUOMODO DANDA SIT ABSOLUTIO A CENSURIS.

577. I. Spectata rei natura, absolvit potest a censura absens, immo et invitus: quia, sicut poena in absentem et invitum potest statui, sic et auferri. (Bus. ap. S. Alph. n. 117) Qui vero contumax manet, vid. quia peccatum ob quod censura ligatus est habet tractum successivum, ex. gr. adhaerere sectae franco-muratorum, valide absolvit nequit, nisi

(1) Ita factum est in Archid. Mechlin. ut patet e Stat. Mechlin. (n. 270. 7^o) et Tract. Mechlin. de Censuris, p. 147. Cfr. nostrum n. 43.

ab eo qui legem qua censura statuitur abrogare potest : quia, cum censurae eo spectent ut reus a contumacia recedat, manente illinc lege, hinc contumacia, in continua legis transgressione versatur ; et, si valeret absolutio, illico reincideret in eamdem censuram. (D'Annib. I. n. 352)

Nihilominus regulariter non licet absolvere nisi praesentem, qui gratiam absolutionis imploraverit (Decr. I. 5. t. 39. c. 40), a contumacia recesserit, scandalum propter quod censurae subjacebat reparaverit, et, si quem laeserat, satisfecerit parti laesae. Ad haec, si crimen sit de atrocioribus ut percussio clerici, promittere debet se numquam in illud relapsurum. (Decr. I. c. cc. 10, 11, 26) Ratio harum condicionum liquet ex ipsa rei natura et ex officio quod incumbit absolventi, impediendi ne censura contemnatur.

Quandoque tamen absolvere licet nescientem vel invitum, nimirum si ex adjunctis appareat absolutionem fore magis medicinalem quam protractam censuram. (Ball. P. n. 327) Licebit quoque interdum absolvere reum antequam reapse satisfactionem debitam praestiterit, vid. si satisfactionem hanc praestare, antequam absolvatur, vel omnino vel moraliter impossibile sit, ex. gr. quia secus absolutione per longum tempus vel cum magno delinquentis detimento differenda esset. Ratio est, quod Pontifex, ubi dicit *satisfacta parte*, intellegendus est, quantum poenitens satisfacere potest, quia non est verisimile Pontificem postulare condicionem impossibilem. (Suar. de Cens. disp. 7. sect. 5. n. 41) Probabilius quoque haec clausula non apponitur per modum condicionis a qua pendeat absolutionis valor, sed tamquam monitum ut satisfactio, quatenus fieri potest, praestetur: nam generalis regula est, quando in delegatione mere exprimatur communis forma Juris (ut in casu), non esse intentionem committentis inducere condicionem novam, sed tantum admonere delegatum ut servet formam communem. (Sanch. de Matr. I. 3. disp. 33. n. 3; Ball. P. n. 275)

II. Probabilius ad solam absolutionem in foro externo dandam requiritur cautio pignoraticia, vel, si haec dari nequeat, fidejussoria de stando mandatis Ecclesiae, satisfaciendo, etc., et pro criminibus atrocioribus, juramentum abstinenti ab eodem delicto. Nam ad absolutionem censurae in foro interno illae dumtaxat condiciones requiri videntur, quae cum natura hujus fori secreti convenient et necessariae sunt ad peccatum, cui censura cohaeret, absolvendum. (D'Annib. I. n. 351)

578. III. Is qui pluribus censuris est adstrictus, potest absolvvi ab una, reliquis manentibus : quia inter eas non est necessaria conexio. (Bus. ap. S. Alph. n. 118) Attamen absolutio, data formula quadam generali, ut fieri solet in sacramento poenitentiae, valet etiam pro censuris invincibili oblivione omissis. Cfr. dicta in argumento simili n. 350.

IV. Non valet absolutio extorta vi aut metu qui injuste incutiatur, sive directe, sive indirecte, ad extorquendam absolutionem. (6ⁱ Decr. I. 1. t. 20. c. un.) Pariter invalida est absolutio quae detur ob falsam causam, puta si judex absolvat quia reus falso dicit se jam emendatum vel parti satisfecisse: nisi causa ista foret minus principalis, vel judex perspectam haberet causae allegatae falsitatem. (S. Alph. n. 132)

V. Spectata rei natura, nihil impedit quominus detur absolutio sub condicione sive de praesenti, sive de praeterito, sive de futuro : id enim commune est omnibus actibus merae jurisdictionis. Condiciones de praesenti vel de praeterito generatim adjicere non licet, nisi ex natura rei insint, ex. gr. si vere a contumacia recessisti. Huc refertur formula in confessione usitata : *Ego te absolvo... in quantum indiges* et aliae absolutiones *ad cautelam*, quae praemitti solent beneficiorum collationi, electionibus, etc. ad vitandum ne, ob censuram ignoratam, invalida fiant.

Condiciones de futuro suspendunt valorem absolutionis, donec condicio impleta fuerit, ex. gr. donec satisfactio exhibita fuerit. Eas addere sine justa ratione, non expedit, cum ab usu Ecclesiae alienum sit, nullo tamen stricto jure prohibetur, modo ad rem pertineant. Accedente autem justa causa, prudenter adjiciuntur. (Ball. P. n. 288)

VI. Absolutio a censuris dari potest extra confessionem quotienscumque, in facultate concessa, non expresse statuitur ut tantum intra confessionem detur, addendo ex. gr. *in confessione sacramentali*. Quare licebit eam extra confessionem dare, si tantum additur potestatem fieri absolvendi *in foro conscientiae* vel *in foro poenitentiae tantum* : quae clausulae nihil aliud important quam absolutionem non profuturam esse in foro externo. Immo, etiamsi additur *confessionibus diligenter auditis*, *confessione audita*, non semper oritur stricta obligatio ea facultate utendi tantum in confessione, quia saepe haec clausula refertur ad absolutionem a peccatis pro qua simul facultas datur. (Sanch. de Matr. I. 8. disp. 6. n. 11; Ball. P. n. 299 seqq.)

VII. Ad valorem absolutionis requiruntur et sufficient verba vel alia signa quibus aperte significetur absolutionem impendi, ex. gr. si subdito absolutionem petenti capite annuat Superior : nulla enim certa formula jure naturali vel positivo ad valorem absolutionis praescribitur. Levis tamen datur obligatio utendi pro absolutione in foro externo forma quae in Rit. Rom. (tit. III. c. 3) praescribitur, juxta c. *A nobis*. (Decr. I. 5. t. 39) Pro absolutione in foro interiori jubet idem Rit. Rom. adhibere formam communiter in confessionibus usitatam. Ex his patet quid sibi velit *absolvere in forma Ecclesiae consueta*, ut nonnumquam in facultatibus dicitur.

§ 7. QUAENAM CENSURAE LATAE SENTENTIAE HODIE VIGEANT.

579. I. Censurae Papales l. s. hodie vigentes e Const. *Apostolicae Sedis* diei 11 Oct. 1869, tamquam suprema norma, cognoscendae sunt.

Etenim ad tollenda multa dubia circa censuras antiquitus latas, et varia incommoda e minore earum convenientia cum hodiernis adjunctis orta, Pius IX hanc Bullam edidit, de Apostolicae potestatis plenitudine decernens : " Ut ex quibuscumque censuris, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae ipso facto incurriendae, hactenus impositae sunt, nonnisi illae quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant. "

Hinc veteres censurae habendae sunt ut abolitae, nisi clare hujusce Constitutionis tenore renoventur : siquidem scopus Bullae, in prooemio indicatus, fuit definire quasnam censuras *moderari aut abrogare* congrueret, ac proinde ad eas restringendas potius quam augendas tendit. Verum contra censuras in eodem documento relatas afferri nequit consuetudo, etiam immemorabilis, qua, ante ejusdem editionem, vim suam amiserit vel ipsa censura vel lex cui adnectitur. Declarat enim Pius IX eas censuras " non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione convenient, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere. " In hunc sensum pluries S. Inqu. respondit, ex. gr. 22 Dec. 1880 (Act. S. S. t. 15. p. 536) circa clausuram monialium, immunitatem asyli ecclesiastici, et necessitatem benefacit Apostolici ad alienanda bona ecclesiastica : quae tria servanda esse affirmavit, non obstante consuetudine, etiam immemorabili, quae, in Germania et speciatim in Bavaria, vigere affirmabatur.

II. Praeter censuras quae explice in Const. *Apost. Sedis* recensentur, vigent hodie :

1º Censurae quas tulit Conc. Tridentinum. Intellege eas quas Trid. tunc primum statuit. His enim solis proprie convenient verba Const. Pii IX : *quos S. Conc. Trid. excommunicavit..., suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit.* Quare inter omnes convenit abrogatas esse censuras quas Trid. tantum per generales allegationes innovavit, ex. gr. " qui secus fecerint, poenas a jure inflictas ipso facto incurrant. " (Sess. 21. de ref. c. 1) Idem, cum sententia communiore et probabiliore (Piat. Comment. in h. l.), censemus de iis censuris quas Trid. speciali allegatione innovavit, ex. gr. innovando (Sess. 14. de ref. c. 6) Constit. Clementis V qua edicitur suspensio ipso facto incurrenda a clericis qui, in sacris constituti, vestem statui suo congruentem deferre renunt.

2º Censurae ante Const. *Apost. Sedis* latae et in suo vigore perstantes, sive pro R. P. electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum Locorumque piorum. (Const. cit.) Ad internum autem regimen illorum Institutorum imprimis spectant censurae, quibus praecaventur delicta sociorum contra status sui obligationes, ex. gr. apostasia a religione; deinde etiam illae, quibus extranei arcuntur ab interno isto regimine perturbando, ex. gr. per Ordinis impugnationem. Contra ad internum regimen non spectat, neque jam vigeat excommunicatio lata a Clemente VIII contra Regulares qui, sine debita facultate, a casibus quos episcopi in sua dioecesi reservant, absolvere praesumunt. (Piat. Comment. in h. l.)

3º Censurae quas R. P. post editam Const. *Apostolicae Sedis* promulgavit. Eas enumerabimus cum cit. Const. censuris.

CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

§ 1. QUID ET QUOTUPLEX SIT EXCOMMUNICATIO.

580. DEFINITIO. Excommunicatio est censura ecclesiastica, qua quis a fidelium communione separatur et bonis, quae illi inter se communicant, privatur. (Reiff. in l. 5. Decr. t. 39. n. 50) Quibusnam bonis privetur excommunicatus, explicabitur sequenti paragrapho.

Ab excommunicatione non differt essentialiter *anathema*. Haec vox saepè usurpat tamquam plane synonyma cum priore, ex. gr. ad calcem canonum Conc. Tridentini. Quandoque etiam in Jure (Decr. l. 2. t. 1. c. 10) opponitur excommunicationi et designat extraordinariam sollemnitatem qua eadem censura pronuntiatur, vid. ab episcopo quem circumstent duodecim presbyteri manu tenentes lucernas ardentes quas, pronuntiata sententia, in terram projiciant. (Pontif. Rom. P. III)

581. DIVISIO. Ad novissima usque tempora distinguebatur excommunicatio in *majorem* (modo definitam) et *minorem*. Haec censura incurrebat tantum ab iis qui cum excommunicato vitando communabant, et sola perceptione sacramentorum privabat. Desit vigere a